



Officia Propria

Sanctorum

qui in Hispania

EX CONCESSIONE APOSTOLICA
CELEBRANTUR.



TORNACI [NERVIORUM]

Typis Societatis S. Joannis Evang.

Desciée, Lefebvre et Sociorum

S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGR.

M. CMII.

Gregorius Papa xiiij.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.



DASTORALIS Officii cura Nos admonet, ut ea, quæ magis conducere censemus, pro locorum et personarum qualitate concedamus. Sane licet alias post Missalis et Breviarii ex decreto sacri Concilii Tridentini editionem fel. rec. Pius V., Prædecessor Noster, dilecti Nobis filii Ludovici de Torres Malacitani et Cameræ Apostolicæ Clerici, qui tunc ex Hispaniarum regnis, ad quæ ab eodem Prædecessore pro certis gravibus negotiis ad rempublicam christianam spectantibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ut ipse Ludovicus a viris gravissimis ad hunc effectum a carissimo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum regna prædicta duxerit reformanda, et concedenda: nihilominus, quia, ut idem Ludovicus Nobis retulit, re ipsa compertum est adhuc aliqua ad Missalis et Breviarii impressionem, quæ in illa provincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos ejus dictis certam adhibentes fidem; ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio et ex certa scientia Nostra ac de apostolicæ potestatis plenitudine hæc quæ sequuntur declaranda duximus et concedenda.

In primis illud Nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cum enim prædecessor Noster prædictus indistincte concesserit, ut ecclesiæ Hispaniæ possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae, illique feriarum anni omittetur, et ordo Breviarii fere subverteretur, Nos huic incommodo occurrere volentes, et Prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus unamquamque Hispaniæ ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius diocesis sunt naturales, vel ejus ecclesiæ seu diocesis sunt patroni, vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu diocesi requiescunt. De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales, vel patroni alterius diocesis, etiamsi illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius diocesis requiescant, non celebratur Officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani. Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius diocesis, religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis intra limites illius diocesis existentibus, eandem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.

Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiæ et religiones existentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum Officia, quæ sunt: festivitas Expectationis Dominiæ nostræ, quæ celebratur die xviii. mensis Decembris. Et quoniam dicta die juxta Breviarium Romanum feria habet Antiphonas proprias ad Laudes, ne Antiphonæ prædictæ omittantur, et ut festivæ singulis annis in illa provincia decantentur; mandamus, ut dictæ Antiphonæ feriales, quæ in die, in qua Officium Expectationis celebratur, dicendæ essent, reponantur die xvj. Decembris, omissa ea, quæ ad Canticum dicitur, cujus loco dicatur ea, quæ ad Canticum ponitur in Psalterio; et idem fiat de Antiphonis in die sancti Thomæ occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando festum Expectationis huiusmodi in Sabbato venerit; ut scilicet Antiphonæ in die sancti Thomæ occurrentes, tunc reponantur xvj. Decembris, dempta ea, quæ dicitur ad Canticum, ut supra.

Item festivitas Triumphæ sanctæ Crucis, quæ celebratur die xvj. Julii. Item festivitas sancti Ildephonsi, Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festivitas sancti Isidori, Archiepiscopi Hispanensis, pro quo celebratur Officium Doctoris, et recitetur Credo in celebratione Missæ. Insuper celebratur festivitas sanctæ Annæ, Matris beatæ Mariæ Virginis, in omnibus locis, ubi fuerit ecclesia, vel capella dictæ Sanctæ ad præsens, vel ubi ædificabitur ecclesia in futurum. Item concedimus, ut quælibet ecclesia, et monasterium Hispaniæ, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicujus Sancti, etiam alienigenæ, non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio, possit illius festivitatem celebrare et Officium duplex facere, et de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio: si vero fuerit duplex vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam. Et quoniam in regno Castellæ in pluribus ecclesiis celebratur die xxx. Decembris Translatio sancti Jacobi Apostoli, Hispaniarum Patroni, præcipuum duplex, et in Breviario ponitur die xxix. festivitas sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, et Martyris, semiduplex, et in anno, quo festivitas sancti Thomæ occurrit in Dominica, juxta regulam Breviarii transferatur in diem sequentem, quo die in eo regno celebratur prædicta festivitas sancti Jacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festivitas prædicti S. Thomæ: volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomæ transferatur ad primam diem duplici non impeditam, quæ erit Vigilia Epiphaniæ, et tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio: ad Vesperas autem Epiphaniæ nulla fiat commemoratio de festo S. Thomæ prædicti.

Cum vero in ecclesiis et religionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, ut diebus paschalibus et festivitatibus majoribus celebretur Missam conventualem Antistes vel alia persona principalis, et regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus Dominicis infra annum Sacerdos, qui celebrabit Missam conventualem, exeat ante celebrationem Missæ cum pluviali vel cappa et cum ministris ad incipiendum in altari majori Antiphonam Asperges, et aspergendum aqua benedicta populum: concedimus, ut Antistes seu alia persona principalis celebrans Missam conventualem præmissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos ejus loco, et ut talis Sacerdos non deferat pluviale, sed albam et stolam, vel superpelliceum et stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum acolythis.

Hæc autem omnia et singula, Breviarium et Missale concernentia, per felicis recordationis Pium V. et Nos concessa pro Hispaniarum provinciis, volumus ut intelligantur etiam concessa ecclesiis insularum et terræ firmæ Indiarum dicto regi Catholico subjectarum. Et insuper statuimus, ut Missæ Sanctorum, quæ juxta motum proprium dicti Pii V. in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per præsentem Apostolicam auctoritatem declaramus, statuimus, concedimus, et indulgemus: non obstantibus præmissis litteris Prædecessoris prædicti in Breviario et Missali, ac regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviariis et Missalibus impressis nec non omnibus, et singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus, et decretis: quæ omnia Nos ad effectum præsentium in dictis provinciis locum sibi non vindicare decernimus: ac aliis, quæ dictus Prædecessor in suis litteris obstat non voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentis litteræ omnibus innotescant, volumus, et districte præcipiendo omnibus et singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, ut illas in cujuslibet Missalis et Breviarii principio imprimant, et imprimi curent; alias illis non appositis, et impressis præsentibus nemini suffragentur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xxx.
Decembris, M.D. LXXIII. Pontificatus Nostri anno primo.

CÆS. GLORIERIUS.



Concordat cum originali. — IMPRIMATUR
Tornaci, die 29 Octobris 1901
VICT. DUREZ Vic. Gen.



Officia Propria
Sanctorum Hispanorum.

PARS HIEMALIS.

DIE XXVII. NOVEMB.

(D. f. ex XVII. hujus.)

S. Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf.

Semiduplex. (m. t. v.)

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut beati Gregorii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Commem. Feriæ.

DIE I. DECEMBRIS.

S. Elisabeth

Viduæ. Duplex.

(D. f. e XIX. Novembr.)

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Oratio.

TUorum corda fidelium Deus miserator illūstra: et beatæ Elisabeth precibus gloriōsis fac nos prospera mundi despiciere, et cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectio-nes de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio id.



Lisabeth, Andréæ regis Hungariæ filia, ab infāntia Deum timere cœpit: et crescens ætate, crevit etiam pietate. Ludovico Lantgrāvio Hassiæ et Thuringiæ in cōjugem

copulata, non minori cura quæ Dei, quam quæ viri sui erant, exsequébatur. Surgens enim nocturno tempore, orationi diu incumbébat; ac variis misericordiæ officiis dedita, viduis, pupillis, ægrôtis, egéntibus sèdulo inserviébat: gravique fame urgénte, domus suæ frumenta liberaliter erogábat. Leprósos hospítio suscipiens, manus eorum et pedes osculabatur. Curandis autem et aléndis pauperibus instigne xenodochium constrúxit.

R. Propter veritatem.

Leectio v.

Defuncto cónjuge, ut Deo libérius servíret, depósitis omnibus sæcularis glóriæ indumentis, vili túnica indúta est, atque órđinem Poeniténtium sancti Francisci ingressa, paciéntiæ et humilitátis virtúte máxime enituit. Nam bonis ómnibus exúta, a própriis ædibus ejectione, ab ómnibus derelicta, contumélias, irrisiões, obtrectatiões invicto ánimo tolerávit, adeo ut summópere gauderet, se talia pro Deo pati. Ad infima quæque ministéria erga pauperes et ægrôtos se abjiciens, eis necessariá procurábat,

solis oléribus et legumínibus pro suo victu contenta.

R. Dilexisti justitiam.

Leectio vi.

Cum vero in his aliis opéribus vitam religiosissime transegisset, finis tandem suæ peregrinationis advénit, quem domesticis suis ante prædixit. Cumque defixis in cœlum óculis divinæ contemplationi vacáret, a Deo mirabiliter recreata, et sacraméntis refecta, obdormívit in Dómino. Statimque plúrima ad ejus túmulum miracula patrata sunt. Quibus auditis, et rite probatis, Gregórius nonus Sanctórum número eam ascripsit.

R. Fallax grátia.

In iij. Nocturno, Homilia. Cœlorum regnum. de Communi.

In ij. Vesp. Commem. S. Bibianæ Virg. et Mart. postea Feriæ.

DIE IV. DECEMBRIS.

**S. Barbaræ
Virginis et Martyris.
Duplex.**

Omnia ut in fine Breviarii Romani, eadem die, Oratio vero Deus, qui inter cetera.

DIE VIII. DECEMBR.

Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Hispaniarum ac Indiarum Patronæ.

Duplex j. classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano, eadem die.

In ij. Vesperis fit Commemoratio sequentis et Feriæ.

DIE IX. DECEMBRIS.

S. Leocadiæ

Virg. et Mart. Patronæ Toletanæ. Duplex.

Añã. Venisponsa. V. Spécie tua.

Oratio.

Beate Leocadiæ Virginis et Martyris tuæ, quæsumus Dómine, precibus et méritis adjuvémur: ut, quæ pro tui nóminis confessione carceres et mortem pertulit, suo nos patrocinio ab ætérno cárcere defendat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Deinde fit Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente; ubi vero est duplex majus vel j. aut ij. classis, Lect. Confitebor tibi. de Communi ij. loco.

In II. Nocturno.

Leectio ib.

Ex Breviario, Martyrologio et Historiis antiquis.



Leoçadia, virgo Toletana, nobilis genere, sed nobilior christiana pietate, eo tempore martyrium passa est, quo Diocletiano et Maximiano imperatoribus tam dira in Dei Ecclesiam persecutio commota est, ut ubique gentium conquistis Christiani aut Christi fidem abnegare, aut mortem subire cogerentur. Ad quam crudelitatem exercendam et veri Dei cultum in Hispania extinguendum missus est ab imperatoribus Dacianus præses. Qui multis civitatibus ejus provinciæ Martyrum sanguine consecratis, ubi Toletum venit, Leocadium ad se accersiri jubet, eamque blanditiis primum delinire aggreditur, deinde etiam terribilis ac modis omnibus de proposito colendæ christianæ religionis deducere conatur. Cuius impiam orationem Leocadia detestata in vincula conjicitur, ut aut sententiam mutet, aut vim inmanium tormentorum experiatur.

R. Propter veritatem.

Lectio v.

CUM autem in custodiam virgo duceretur, Deo humili corde gratias egit, quod pro Christo fundendi sanguinem sibi occasionem obtulisset. Conversaque ad eos, qui se lacrymis prosequebantur, placido vultu: Eia, inquit, Christi milites, congratulamini mihi, quoniam digna habita sum pro nomine Jesu contumeliam pati. In tetro carcere diu jacuit, donec auditis saevissimis tormentorum generibus, quibus Dacianus permultos Christianos excruciatos necaverat, pio dolore commota flexis humi genibus, Deum precata est, ut se (si ita expediret) e custodia corporis educeret ad confitendum nomini ejus. Exauditaque a Domino, squalore confecta, impollutum spiritum in oratione Deo reddidit.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio vj.

LEOCADIE igitur corpus honorifice a Christianis in suburbio Toletano sepelitur. Ubi postea, et in loco ubi mortua est, duae ecclesiae collegiatae, et tertia item parochialis in aedibus, in quibus habitavit, ejus nomine dedicatae, etiam nunc exstant.

Quibus tantus honor Gothorum tempore est habitus, ut in eis potissimum multa concilia Toletana, etiamque frequentissima habita, et sanctissimi Archiepiscopi Toletani, Eugenius tertius, Ildephonsus, et Julianus, in Leocadiae basilica propter Virginis reverentiam sepulti sint. Haec sanctissima Virgo post mortem e tumulo surrexit, et Recesvintho rege praesente et magna hominum multitudine beato Ildephonso apparuit, ejusque studium in gloriosissimam Virginem Mariam commendavit.

R. Afferentur Regi.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis.

Lib. Sentent. cap. 40.

Virgo carne, non mente, nullum praemium habet in repromissione. Unde et

insipientibus virginibus Salvator in iudicio veniens dicit: Amen dico vobis, nescio vos. Ubi enim iudicans mentem corruptam invenit, carnis procul dubio incorruptionem damnabit. Nihil prodest incorruptio carnis, ubi non est integritas mentis. Nihilque valet mundum esse corpore eum, qui pollutus est mente.

R. Haec est virgo.

Lectio viij.

Multi sunt reproborum, qui carnalis corruptelae contagium nesciunt. Qui sicut infecundi sunt corpore, ita steriles manent mente, operisque boni fecunditate. Qui recte de virginitate gaudent, si aliis pravis operibus non inservirent. Qui continentiam profitetur, et ab aliis terrenis desideriis non subtrahitur, quamvis hunc luxuria carnis non polluat, diversa tamen mundanae conversationis operatio maculat.

R. Media nocte.

Lectio ix.

Virgines de suis meritis gloriantes hypocritis comparantur, qui gloriam boni operis foris appetunt, quam intra conscientiam humiles habere debuerunt. Tales igitur ad promissa caelestia non per-

veniunt: quia ipsae sibi virginitatis praemium per elationis vitium auferunt. Hoc est enim in Evangelio non habere virgines in vasis oleum, id est non servare intra conscientiam boni operis testimonium, sed in facie gloriari apud homines, non in corde apud Deum.

Te Deum laudamus.

In Laud. Comm. Oct. et Feriae. — Vesp. de seq. Comm. S. Leocadiae, Feriae et S. Melchiadis.

DIE X. DECEMBRIS.

Translat. Almæ Domus Lauretanæ.

Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

DIE XI. DECEMBRIS.

S. Damasi

Papae et Conf. Duplex.
Ut in Breviario praeteritum.

In ij. Vesp. a Capit. de seq.

DIE XII. DECEMBRIS.

S. Eulaliae Emerit. Virg. et Mart. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Añae et Capit. de Laud. Psalmi de Comm. Virg.

Hymnus.

Virginis laudes canimus pudicae,
Mille quae sertis redimita frontem

Dúplices palmas méruit
reférre

Sáanguine partas.

Tecta festína egréditur
patérna;

Nec timet noctem pavet
aut tenébras,

Prævia sed luce áperit ru-
béta

Cœlicus ordo.

Intrat et passu Eméritam
velóci,

Júdicis durum stetit ad
tribúnal,

Arguens cæcas venerári
gentes

Númina vana.

Dúlcibus verbis studiús-
que tentat

Prætor emollíre ánimum
puéllæ :

Offerat saltem pia thura
divis :

Cæsari placens.

Illa falláces rénuít loqué-
las :

Nulla promíssa allíciunt,
iníquis

Pérnegat sensus : velut al-
ta rupes

Flúctibus obstat.

Sit decus Patri, genitæque
Proli,

Et tibi, compar utriúsque
virtus

Spiritus, semper, Deus
unus omni

Témporis ævo. Amen.

℣. Spécie tua et pulchri-
túdine tua. ℞. Inténde,
prósperè procéde, et re-
gna.

Ad Magnificat, Aña. Beá-
ta Eulália, úngulis férreis
usque ad ossa dilaniáta,
læto ore notas númerans
dicebat : Nunc, Christe
Jesu, in meo córpore his
notis fórtius inscriberis.
Deléctat me hos ápices lé-
gere, qui tua trophæa no-
ménque tuum sáanguinis
púrpura scripta loquún-
tur.

**Oratio ut infra ad Lau-
des.**

**Et fit Commem. S. Da-
masi Papæ et Conf. Aña.**
Dum esset. **Deinde Octa-
væ Immacul. Concept.
B. M. V. et Feriæ.**

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Virgi-
num Dóminum * Veníte,
adorémus.

Ps. Veníte.

Hymnus.

Infremít prætor rabié-
que frendít,

Vérbera inténtat, mó-
veant ut puéllam :

Cuncta frustra, fórtior et
resístit

Ipsa tyránnò.

Ungulæ carnes lániant
cruéntæ;

Virgo sed plagas núde-
rans hiúlcas,

Gaudet, et Christi céle-
brat triúmphos

Voce sonóra.

Præstat inscriptos ápices
notáre

Púrpura tinctos, quibus
exarántur

Nóminis magni alma tui
trophæa,

Máxime Christe :

Inquit : at prætor fúriis
prehénsus

Bálneat fervénte óleo ma-
millas :

Calce, tum rivis férvidis
aquárum

Corpus adúrit.

Attamen calce ex liqui-
dóve plumbo

Nulla nec parva Euláliam
favilla

Lædit : expérta ómnia
temperáta

Virgo decóra.

Sit decus Patri, genitæ-
que Proli,

Et tibi, compar utriúsque
virtus

Spiritus, semper, Deus
unus, omni

Témporis ævo.

Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Beáta Eulália Deo
timoráta, mente et córpo-
re casta, ac religióne pu-
dica, docebátur a Donáto
Presbytero.

**Psalmi trium Nocturno-
rum de Comuni Virgi-
num.**

Aña. Ab infántia rudi-
méntis Christi confitéri
docebátur.

Aña. Annos adolescén-
tiæ pene ingrèssa, fidem,
quam sancta devotióne

concéperat, ánimò fortió-
re servábat.

℣. Spécie tua et pulchri-
túdine tua. ℞. Inténde,
prósperè procéde, et re-
gna.

Lect. De virginibus. **de
Comuni Virg. j. loco.**

℞. j. Diem festum sa-
cratæ Virginis Euláliæ ce-
lebrémus : quáliter passa
sit, ad memóriam revocé-
mus : tertiodécimo ætátis
anno mortem superándo
vitam invénit : * Quia so-
lum vitæ diléxit auctó-
rem. ℣. Infántia quidem
computabátur in annis,
sed erat senéctus mentis
imménsa. — Quia.

℞. ij. Ab ipsa infántia
Christi fidem edócta, non
solum exácte ritus chri-
stiános servábat, verum
dari sibi occasiόnem expe-
tébat, qua per martyrium
ad cœlum posset evoláre :

* Quia fidem, quam san-
cta devotiόne concéperat,
ánimò fortióre servábat.

℣. Hæc est Virgo sápiens,
et una de número pru-
déntum. — Quia.

℞. iij. Euláliam patérna
cura ob metum persecu-
tiόnis in villa tenébat abs-
cōnditam, toro dicátam,
et váriis crepúndiis, ut
custódiám deliniret, oblá-
tis : quæ ómnia repúle-
rat : * Quia Christo spon-
so suo se totam devove-

rat. **V.** Hæc est, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectiōne animarum sanctarum. — Quia. **Gloria Patri.** Quia.

In II. Nocturno.

Añā. Virgo magnanima nocte consurgens, læta progrēdiens, ardenti desiderio ad martyrium properabat.

Añā. Nocte viam secuta virgo, lucem habuit pro luce, et diem meruit.

Añā. Convirginali suæ Júlīæ comitanti dixit : Notum sit tibi, domina soror, quia, etsi novissima vado, prior patiar.

V. Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur.

Lectio iv.



Ulália virgo, Libertarii nobilis Emeritensis civis filia, a Presbytero Donato fidem Christi edocta, paterna cura ob metum persecutiōnis sub Maximiano imperatore in loco, qui dicebatur Porcejana et parentis possessio erat, in finibus provinciæ Bæticæ prope Emeritam milliario trigésimo, custodiebatur cum Felice confessore, et Júlīa virgine, aliisque Deum timētib. Adeo siquidem ejus viri boni

præceptis Eulália sitiēter adhæsīt, ut non Christianos solum exacte ritus servaret, verum dari sibi occasiōnem expēteret, qua per martyrium posset ad cœlum evolare. Audiens autem Daciānum multos Christianorum tormentis afficere ob Christi nomen, egressa domo nocte, pedibus per invia pergens, una cum Júlīa sibi convirginali (quæ etiam eodem die martyrium passa est) in civitatem devenit.

R. Audiens Eulália sævitiam tyranni et Christianorum cruciatus, latibula perosa noctu septa, claustraque fugax aperit, et iter ingreditur per invia et vepribus obsita loca :

* Angélico tamen comitata choro et luce cœlitus demissa. **V.** Hæc est Virgo sapiens, quam Dominus vigilātem invenit; lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. — Angélico.

Lectio v.

Civitatem autem ingressa, ad tribunal Calphurniani, quem legatum in urbe Emerita Daciānus reliquerat, accedens, increpare cepit illius sævitiam et insaniam, quod Deum verum colentes supplicii vexaret et

dæmonum simulacra colere faceret. Quam præses audiens primum verbis demulcere aggreditur ne in tam tenera ætate (tertiumdecimum enim annum agēbat) vitam perdere vellet. Adhortabatur etiam, ut diis incensum adoleret. Quod beata virgo rénuens fustibus cæditur, et unguis ab utroque latere usque ad ossa dilaniatur. In quo tormento virgo læto ore notas numerans, in hæc verba prorupit : Scriberis ecce mihi, Domine; quam juvat hos apices legere, qui tua, Christe, trophæa notant : nomēque tuum elicit sanguinis purpura loquitur.

R. Beata Eulália lætissime et constanter festinabat ad martyrium, * Quasi ad epulas invitata : et agōnem suum Domino precibus commendabat. **V.** Nobilibus orta natalibus, ab ignobili gaudentis trahēbatur ad martyrium. — Quasi.

Lectio vj.

Ad hæc insaniens præses jussit eam collo tenuis in vivam calcem immergi, aqua superinfusa, ipsamque virginem liquefacto plumbo perfundi. Verum cum nec ardor ille Eulaliæ noceret,

novissime in equuleo extenditur, et ardentibus fascibus lampadibusque latera ejus aduruntur, quarum flammam in caput et faciem involtantem virgo aperto ore hausit. Unde progrēdiens columba candidissima in cœlum spectantibus cunctis evolavit quarto Idus Decēbris. Lictoribus autem fugientibus, sancto corpore in equuleo relicto, magna niviscopia descendit, quæ forum corpusque virginem vice lintei candidi tegēbat. Inde clam a Christianis ablatum sepulture traditum est, et in Hispaniarum devastatiōne a Saracenis in Ovetensem ecclesiam translatum est : ubi magna cum veneratiōne colitur. Eamque Urbanus octavus Pontifex maximus, in Patronam perpetuam dicti episcopatus Ovetensis concessit, anno incarnatiōnis Domini millésimo sexcentésimo trigésimo nono.

R. Ad passiōnem ducta Eulália tyranno dixit : Quid persēqueris Christianos, et niteris in vanum perdere virginem Dei? * Dominus me docet in veritate sua : ideo non seduces adolescentiam meam. **V.** Ego annorum sum trēdecim; putasne

ætatem meam tuo posse terróre turbári? — Dóminus. **G**lória Patri. Dóminus.

In III. Nocturno.

Añã. Dóminus docet me in veritate sua : ideo non sedúces adolescéntiam meam.

Ana. Terrénæ vitæ blandiméntis non deléctor, álteram beátam spero vitam.

Añã. Hábeo sponsum divitem, immortalém, qui te tuosque perdet.

V. Elégit eam Deus, et præelégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Homilia. Sæpe vos, fratres. **de Communi j. loco.**

R. vij. Diversis tormentórum genéribus maceráta, pendens in equúleo, super his ómnibus gloria-bátur Eulália, commémorans se ipsam, in quibus se ab infántia præparáverat, * Omnibus se audiéntibus exhórtans dicébat. **V.** Credi opórtet unum et verum Deum Patrem cœlestem, et Jesum Christum Filium ejus omnipoténtem cum Spíritu sancto adorándum, qui est benedictus in sæcula.

— Omnibus.

R. vij. Ardéntibus fá-cibus lampadibusque ejus látera aduréntibus, eárum

flamnam in caput et fá-ciem involitántem ore apérto hausit Virgo. * Ex quo pródiens colúm-ba candidíssima, spectántibus cunctis in cœlum evolávit. **V.** En diléctus meus loquitur mihi : Surge, própera, amica mea, colúm-ba mea, formósa mea et veni. — Ex quo. **G**lória Patri. Ex quo.

AD LAUDES,

et per Horas, **Añã.**

1. Beáta Eulália * fide plena, spe intrépida, caritate flagrans ad martyrium sponte festinábatur.

Psalm. Dóminus regnávít. **cum reliquis.**

2. Crudélibus laceráta verbéribus * fortióri ánimo prætoris sævitiam et cæsaris vanam religiónem increpábat.

3. Tamquam aurum * in fornáce probáta, laudes Dómino decántans, incólumis exívit a flammis.

4. Benedico te, * Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum nec vérbera, nec ignis, nec calx, nec plumbum nocuere córpori meo.

5. Qua Spíritus sanctus * spécie apparére non dignátur, Euláliæ spíritus ad cœlestem paradísium evolávit.

Capitulum. 2. Cor. 10.

Fratres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim, qui seipsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

Lampades postrémo Virgini ligátæ Applicat, quæ ignem caput occupántem Transfert in pectus, hiantéque ore

Hausit apérto.

Spiritus formam recipit colúmbæ,

Quæ volans cœlum pénétrat corúscum :

Contrémít lictor fúgiens relicto

Córpore solo.

Membra tam sæve laceráta nuda

Cóntegit cœlum nive decedente :

Donat hæc pura Attálicos amíctus

Artibus almis.

Virgo, quæ es firma Emérita colúmna,

Astures fortes foveas benigna;

Qui tibi semper réferant Patrónæ

Omnia fausta.

Audias quod nos férimus lubénter

Súpplices votum récipe : et secúnda

Témpora indúlge, ut tibi personémus

Cármina sancta.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi, compar utriúsque virtus

Spíritus, semper, Deus unus, omni

Témporis ævo.

Amen.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Añã. Beáta Eulália dum lampádis ardéntibus urerétur, prætorí dixit : Assum est jam corpus meum, jube sale conspérge, ne cœlesti Sponso insipidum præpares holocáustum.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : da nobis in festivitáte sanctæ Virginis et Mátyris tuæ Euláliæ cóngrua devotióne gaudere; ut et poténtiam tuam in ejus passióne laudémus, et promissum nobis percipiámus auxiliium. Per Dóminum.

Deinde fit [Comm. Oct. Immaculatæ Conceptionis B. M. V. et Feriæ.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, Qui gloriátur. ut supra.